

mino Guidone Dei gratia Aquensi Episcopo, & Comiti intendens ad alia se transferre pure, & sponte renunciavit in manibus dicti Domini Episcopi Clericatus, beneficio, & praebandae, quam obtinebat in Ecclesia praedicta S. Ambrosii (1), quam renunciationem idem Dominus Episcopus gratam habens, liberaliter acceptavit, praecipiens de praedictis fieri praesens instrumentum.

Guido, Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes dilecto nobis in Christo presbytero Antonio de Casinasco nostrae Aquensis Dioecesis salutem in Domino. Exigentibus tuarum virtutum meritis, super quibus apud nos laudabili testimonio multum in Domino commendaris, inducimur ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est, quod nos volentes intuitu Dei, & tuorum praemissorum meritorum tibi facere gratiam specialem, clericatum, beneficium, & praebendam nunc vacantes in Ecclesia S. Ambrosii de posse Felizani per renunciationem in manibus nostris factam per Marchettum Guttuarium olim Clericum dictae Ecclesiae tibi conferimus nostra ordinaria potestate. Investientes te cum annulo nostro aureo de dicto Clericatu, & de omnibus juribus spiritualibus, & temporalibus spectantibus ad eundem decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus contra praemissa a quoquam fuerit quomodolibet attentatum, vel contigerit attentari, in quorum testimonium praesentes fieri iussimus nostro sigillo munitas. Actum, & datum in area castri Bestagni, die ultima julii, anno Domini MCCCLXVIII., Indictione VI., praesentibus testibus, quibus supra.

(1) Felizani.

*Electio Antonii Zabreriae de Mursasco in Archipresb. de Mollariis, facta a Capitulo Aq. & litterae Episcopi contra praetendentes.*

233

MCCCLXVIII.

In nom. Dom. amen. Ann. ejusdem MCCCLXVIII., Indictione VI., die XXV. septembris in Civitate Aquis, scilicet in domibus habitationis Rever. in Christo fratris Jacobi Ordinis Minorum, Episcopi Millopotensis, praesentibus ipso Domino Episcopo, Isnardo Zabreria potestate Molariarum, presbytero Francisco Bordella Rectore Ecclesiae de Vixidono, & Antonio Bellerato ministro hospitalis Sancti Antonii de Balneo de Aquis, Petro Scuroto de Aquis, & pluribus aliis testibus vocatis, & rogatis. Vacante Ecclesia Sanctae Mariae plebis de Campali, seu de Molariis Aquensis Ecclesiae Archipresbytero, & rectore per renunciationem fratris Antonii Bocatii Monaci Monasterii de Tilieto in manibus Rever. in Christo Patris, & Domini Guidonis, Dei gratia Aquensis Episcopi, & Comitis sponte factam olim Archipresbyteri dictae plebis, ecce quod venerabiles viri Domini Jacobinus ex Marchionibus Incisae, Nicolinus Bellexius Archidiaconus, & presbyter, Bartholomaeus de Porta, Canonici Aquensis Ecclesiae in sacris Ordinibus constituti tamquam Capitulum, & pro Capitulo dictae Aquensis Ecclesiae residentes, & tamquam ad quos electio futuri Archipresbyteri plebis praedictae spectat, constituti personaliter in praesentia Rever. in Christo Patris, &

Domini Guidonis Aquensis Episcopi supradicti humiliter, & devote petierunt licentiam eligendi Archipresbyterum futurum dictae plebis. Qui Dominus Episcopus annuens supplicationi Canonorum ipsorum cum protestatione . . . . .

Guido, Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes dilectis nobis in Christo universis, & singulis, tam Clericis, quam laicis, ubicumque sint, & quocumque nomine nuncupentur, cujuscumque status, & conditionis existant, quos tangit infrascriptum negotium, vel tangere poterit quomodolibet in futurum, salutem in Domino. Noveritis, quod coram nobis personaliter accessit Antonius natus quondam Facini Zabreria de Mursasco, Clericus nostrae Dioecesis, dicens, & exponens se fore electum in Archipresbyterum ad Archipresbyteratum, rectoriam, & administrationem Ecclesiae Sanctae Mariae plebis de Campali, sive de Molariis per Reverendum in Christo Patrem, & Dominum Fratrem Jacobum Ordinis Minorum Episcopum Millopotensem tamquam procuratorem, & procuratorio nomine venerabilium virorum Dominorum Jacobini ex Marchionibus Incisae, Nicolini Bellexii Archidiaconi, presbyteri Bartholomaei de Porta, & Joannis de Qui-regio Canonorum Ecclesiae majoris Aquensis tamquam Capitulum, & pro Capitulo dictae Ecclesiae Aquensis in sacris Ordinibus constitutorum, ad quos electio Archipresbyteri dictae plebis dicitur spectare, de quibus procura, & electione dixerunt patere publica instrumenta recepta manu Francisci Bordellae publici Notarii, & ipsa Ecclesia vacante Archipresbytero per renunciationem Fratris Antonii de Castello dudum Archipresbyteri dictae plebis in manibus nostris factam, requirens idem Antonius sic electus instanter, quatenus nos auctoritate nostra ordinaria dictam electionem de se factam ad Archipresbyteratum dictae plebis ratificare, & confirmare dignaremur, & eidem electioni interponere nostram auctoritatem pariter & decretum, ac etiam eum investire de dictis Archipresbyteratu, rectoria, & administratione, & omnium jurium spiritualium, & temporalium ad eosdem spectantium, & inducere, seu induci facere in possessionem corporalem omnium praedictorum. Quare tenore praesentium vos, & quemlibet vestrum monemus, & hortamur in Domino quatenus si vestra interest, vel ad vos, seu ad aliquem vestrum spectat aliquid dicere, vel opponere contra dictam electionem, seu contra personas eligentium, seu contra electum praedictum aliquo modo, & forma, studeatis infra sex dies proximos post harum affixionem, seu applicationem ad fores dictae Ecclesiae de Molariis factam coram nobis legitime comparere ostensuri, producturi dictum, & oppositum quemcumque volueritis dicere, vel opponere contra praedicta, vel aliquod praedictorum. Quem terminum vobis, & cuilibet vestrum pro primo, secundo, tertio, & peremptorio assignamus. Alioquin elapso ipso termino ad confirmationem ejusdem Antonii fiendam, ut supra, & ad alia juridica circa hoc procedendum justitia mediante, & nostri absentia non obstante, & ut de praedictis, vel aliquo praedictorum nullus possit se per ignorantiam excusare, praesens edictum iussimus